



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

RELATIO VII. De Mense Februario, Anni 1626.

1626

RELATIO VII.

De Mense Februario, Anni 1626.

Venetijs scriptum est, *Mediolani* sub mensis, Febr. initium, factam esse militum recensionem: & qui de Hispanis & Germanis superfuerunt, eos inter octo, quæ collegerunt, Regimina, uti appellant, distributos: quibus de commodioribus & stativis & victu prospexerint, ut seditionibus ansam præcipiant: Pappenheimis quoq; stipendia esse soluta.

Sabaudus Montone dicitur legiones ducentarum & quinquaginta centuriarum, & 18. maiora tormenta bellica parata habere: præter 2000. Gallos, qui recens advenerunt. Hæc res Genuenses excitat, ut & ipsi magnâ contentione in bellum incumbant. Sviceros catholicos magis favere Gallis, quàm Hispanis, invaluit fama. *Veneti* collectum habent exercitum 25000 militum: addituri ipsis sedecim centurias primo quoq; tempore: quod signum est futuræ expeditionis certissimæ & gravissimæ.

Vienna circa 4 Febr. celebratus est ludus: regalis ludicrus; cui personatus Rex præfuit Principum iuventutis Camerarius, Dn. Starnbürgius; personata Regina, Dna. Fromentina, aulae Filiarum Cæsaris Rectrix.

Bethlehemum *Gaborem*, ajuht, non obscure præ se ferre, nisi pax Germaniæ restituetur, se oppressis subventurum.

Cæsar autem, licet 8 Maji Nurenbergæ Deputationis diem indixerit: tamen maximas comparat copias, majori zelo bellum intestinum gesturus.

Praga 2. Febr. *Sabskij* h. 7. matutina in arce, en-
E te al-

te albam turrim decollatus est: huius cadaver a servis loculo reconditum, curruiq; undiq; velato imposi-
tum, cœnobio S. Thomæ illatum, atq; terræ manda-
tum est.

Wenceslai *Beccari* nomen, quod palo ignominio-
so hætenus affixum fuerat, per carnificem ex reliquo-
rum numero circa 7. Febr. sublatum est: quod factum
dicunt Filij ipsius causa, qui interea in Gallia militavit,
& iam factus Papista, aulae Cæsaris ministret. In *Urbe*
parvilateris Pragensi, civiū parœciæ Divæ virginis, quot-
quot Romanumpapam agnoscere noluerunt, domibus
6 Febr. bini & terni soldurij impositi sunt, quos opi-
pare tractare eos oportet: idem fiet omnibus reliquis,
qui ejusdem cum illis sunt sententiæ. *Dresda* fuit Regiæ
Mti Danicæ Legatus: quem Elector magnificè excep-
pit, splendideq; habuit: quid cum illo actum sit, de eo
adhuc altum est silentium. *Rotbomago* nunciatum est,
eadente Ian. *Bellum civile inter Regem Gallia & Evangelico-*
eos, quos Hugonotos vocant, Christo laus, esse *compo-*
situm: quæ res & tristitiæ & lætitiæ causam dederit: tri-
stitiæ Sacrificulis, qui id omni studio, ne Rex nuper
confederatis auxilio venire posset, impedire allabora-
rarunt: lætitiæ verò, Christianis Evangelicis: qui pa-
cificatione facta, sese ad omnia, quæ à se ad tuendam,
Regis & Regni incolumitatem proficisci possint, Sa-
cræ Regiæ Galliarum Mti & Parlamento sua sponte a-
strinxerunt. *Lugetiæ Legati Hispanici* pacem aut indu-
cias anxie quæsiverunt: quid factum sit, experiemur..
Littera Antverpienses affirmant, Pontificios, qui sacris
rebus præsunt, quodam tempore, magnam spem de-
vorandi tandem omnes sibi adversos, atque pro libi-
dine,

dine cuncta agendi, apud se conceptam habuisse: qui nunc valdè perturbato sint animo, & apprimè moesti, auditâ inter Regem Galliarum & Hugonottos transactione. *Bruxellis* Infans in provinciis Italicis firmum studet parare exercitum pro Italia. Circa 9. Febr. Vesaliam introducta sunt præsidii causa novem Hispanorum signa.

Losbaringus militem dimisisse dicitur: quem Gallus conduxerit. Sed & Colonia scriptum fuit, *Rupellanos*, intercedentibus Anglo & Hollandis, cum Rege in gratiam redisse: jamq; agi cum Duce Rothomagiano & aliis Hugonotis. *Regem* autem *Galliarum* castra ad *Artesiam* admoturum, ut, propior Germaniarum factus, Regi Hispaniarum eò majus damnum inferre possit. Magnarum Britanniarum Regi Legatus à Sabauda hoc eodem tempore adfuit. Classis ejusdem Regis in Hispaniam, primo vento secundo navigabit. Colligitur & in ejusdem regnis tantus, quantum unquam haberi potest, exercitus.

Servestanus ager in Anhaltino Principatu funditus diripitur & vastatur à militibus, ubiq; illorum locorum grassantibus, ita ut ne quidem pedem portâ efferre, tuiò cuiquam liceat: securarq; sunt, proh dolor, majores calamitates: siquidem non solum cives & rustici, sed nobilitas quoq; tantum non deglubuntur: commerciaq; plane abolentur. *Servestani* autem hæcenus nullum præsidium receperunt: sed iussi sunt singuli, sub juramento, suas divitias & censum profiteri, & de singulis florenis unum cruciatum nummum hebdomadatim solvere: cui oneri ferundo nequaquam sunt pares, cum jam propè exhausti sint præbenda annona us militibus, qui in oppidis circa urbem sunt,

Deffaviensis pontis propugnacula quotidie firmiora reddere Fridlandensis nititur. Sed quia arenosa est terra, multa ex his partes sine intermissione, diversis in locis, concidunt. Non potest dici, quantum lignorum & ramentorum frusticumque in his extruendis sit infusum. Ad *Albim* circa initium hujus mensis visi sunt 5000. Pedites & equites Fridlandici cum aliquot tormentis bellicis: non sunt tamen progressi, sed in suas stationes regressi. In *Hallensem* autem militem, qui *Burgi*, *Mockeræ*, & in alijs urbibus in praesidiis est, irruptionem cogitarunt Fridlandici: quid porò futurum sit, res docebit. *Magdeburgum* Regis *Daniæ* legiones, quibus *Fuchsius* imperat, appropinquare, compertum fuit circa 11. Febr. quo tempore *Gardelegia*, quæ *Electoralis Marchia* veteris urbs est, fuerunt. *Mansfeldicus* *Havelbergam* & proxima loca, quæ *Albis* & *Havelus* alluunt, ad impediendum aliorum ingressum accommodatissimè occupasse, atque sic munire incepisse dicitur, ut utriusque fluvij ripa ex propugnaculis defendere postea possit. Quicquid extra urbem *Magdeburgum* est in vicinia, id omne infestatur à prædantibus militibus. Importatio rerum venalium in urbem ab utroque & ab Episcopo, & Fridlandico interdicta est: quia metuunt, sibi futuris temporibus annonam, si omnis in urbem inferatur, defuturam. *Brunsvicensis* pulchra spes fovet, fore, ut bellum *Germaniæ* lucuosum componatur. Dicuntur Legati majorem partem conditionum pacis accepisse utrinque: modo inter se convenire possent de ejusmodi cautione, quæ neutri parti esset fraudi. Regis *Daniæ* copias parant abitum: quò, ignoratur. *Christianus Dux Brunsv.* circa 11. Febr. *Wolferbytt* in eos, qui apud ipsum in suspicionem proditorum hosti consiliorum

liorum